


*L*  
1384 // 27 SERENISSIMÆ  
REIPVBLICÆ VENETÆ 181  
ARMORVM 1384  
TROPHÆVM,  
PRO DEBELLATO TVRCA,  
*Ob restitutam Societatem IESV,*  
PONIT ET CONSECRAT,  
Ex eadem Societate RENATVS RAPINVS.




PARISIIS,  
E' TYPOGRAPHIA REGIA.

M. DC. LVII.

1256411

RETRIBUITION  
АТИНУ АУИ  
МУНОМЯ  
МУНДРЯТ  
PRO DEBELLATIONE TURCA  
Одигитрия Соисанеа Иса  
POINT ET CONFESSAT  
Ex ergem Sociege RENATA RAYNAUD



PARISIIS  
Е. ТИПОГРАФИЯ ЕГО  
MDCLVI



SERENISSIMÆ  
 REIPUBLICÆ VENETÆ,  
 PRO DEBELLATO TVRCA,  
**ARMORVM TROPHÆVM.**  
 CARMEN HEROICVM.  
 AD ILLVSTRISSIMVM  
 ET EXCELLENTISSLIMVM D. D.  
**FRANCISCVM IVSTINIANVM**  
 SERENISSIMÆ REIPUBLICÆ,  
 AD REGEM CHRISTIANISSIMVM,  
 LEGATVM.



*Oc erat, Adriaco nuper quod litore Triton  
 Ausonius, totum conchâ dum personat æquor,  
 Dum canit extremo viatos certamine Turcas,  
 Laureti summâ populos pro rupe monebat.*

A

Ut Thracem Venetus Latii auerteret hostem  
 Finibus, ac lætis nos demum rebus, in urbem  
 Jam dudum absentes, Româ poscente, vocaret:  
 Audiueris suis Nymphæ Benacides antris,  
Quos Triton populis monitus dabat, audiit omnis  
Adria, & ingentem respondit ab æquore plausum.

Inuenere fidem, per Vos, oracula diuūm,  
 Inlyte Dux, Proceresque urbis, Populusque, Patresque  
 Autores tantorum operum, cùm munere vestro,  
 Poscimur hospitio, quo tempore perdere bello  
 Ottomanum toto prædonem Oriente paratis.

Nos memores facti, meritis pro talibus, hostem  
 Bellando vobis nuper trans æquora victum,  
 Et partos canimus Scythicâ de gente triumphos.

Namque tibi, si quæ nobis est copia fandi,  
 Seruiat, ut merita es, bello fortissima & armis  
 Gens Venetum, dextro dudum quæ marte fatigas  
 Regnatorem Asiæ terrâ, pelagoque potentem.

Vnam adeo (quod sera olim mirabitur ætas)

Aduersi inter se reges dum prælia miscent  
 Christiadæ, tantum te bello tendere in hostem  
 Vires, & populos, atque arma Orientis agentem  
 Dicemus, laudesque tuas æquabimus astris.

Primus ego, hanc vestris quando victoria palmam  
 Annuit, egregio meritæ pro laudis honore,  
 Litore in Adriaco, veteri de more, Trophæum

Instituam, socij circum, qui carmina dicant,  
Spectabunt, sacris redimiti tempora vittis,  
Frondentemque ferent pompa ad solemnia laurum.  
Tu dum rem patriam, dum magna negotia tractas  
Cum Franco, Venetis orator missus ab oris,  
Italiæ clarum decus, heroúmque propago  
O I V S T I N I A D E, tenuis da sibila musæ,  
Festarum strepitus inter resonare tubarum,  
Et laurum hanc vestro fese immiscere triumpho.  
At mihi compositis quæ stet sublimis in armis  
Non abies querenda, aut ramis ardua quercus:  
Vulgaris pompa hæc fuerit vulgaribus armis.

Sicubi præcelsa est, ipso sub litore, rupes,  
Quæ summas alto se vertice tollat in auras,  
Hanc ego decis, qua prominet, undique saxis  
Componam Turcæ in speciem, ceruice superbâ  
Omnes qui ventos, omnes qui terreat auras.  
Immanémque humeris immanibus, ex orichalco  
Aptabo loricam, ingens quam desuper umbo,  
Aut picta è læuo pendebit parma lacerto.  
Pro galeâ, summâ imponam sub fronte, tiaram  
Carbaseum, Scythici quod Thrax ferus accola ponti  
Tegmen habet capiti, per longa volumina plexum.  
In tergum obliquus descendet acinacis, ipsi  
Ductor i pugnæ eruptus, bellique magistro.  
Hac sub rupe, ferox fastu, toruusque videri

Thracibus induitus mihi stabit truncus in armis:  
 Ante pedes scuta, & galeas, captiuaque signa,  
 Threicio miles Venetus quæcumque Tyranno  
 Eripuit, fractosque arcus, ensesque recuruos,  
 Tela virum, atque hastas deponam rupe sub imâ,  
 Congeriem armorum immensam, mauortiaque æra,  
 Et peltas, fractamque in peltis cornua lunam.  
 Addam & opes pelago passim ex undante receptas,  
 Et gazam, ac uestes gentis monimenta profanæ,  
 Barbarici luxum decoris, Phrygiisque tapetas,  
 Montesque, & fluuios, descriptaque bella metallo,  
 Addam urbes pelago vietas, magnumque fluentem  
 Bosphorum, & undantem bello, armorumque tumultu  
 Attonitum, ac toto trepidantem gurgite Pontum,  
 Pandentemque suos portus, victique tyranni  
 Tristes reliquias, saxa in latebrofa, vocantem.  
 Insuper & bello defensam, ac marte secundo,  
 Natali insignem Iouis, ut fert fabula, Cretam  
 Adiiciam, & Phrygiis ululatam matribus fidam,  
 Et Tenedum, ac mæstas tot cladibus æquore toto  
 Cycladas, & ferri, ut quondam, in diuersa timentes.

Sub scopulo, mihi laurus erit procera, Trophæum  
 Ingenti festæ obtentu quæ frondis inumbret  
 Desuper, & virides incuruet plurima ramos:  
 Vnde sibi victor, partâ pro laude, coronam  
 Decerpit, Vestrique ornent sua tempora vates.

Erectos

Erectos circum præcingi hostilibus armis  
 Præcipiam truncos, inimicâque nomina pingi;  
 Atque ducum simulacra, suo qui sanguine, laudem  
 Hanc patriæ peperere, omnes frondente coronâ  
 Insignes caput, inque armis fulgentibus omnes.  
 Quos inter, Venetæ prisco de sanguine gentis  
 CONTARENVS ouans animi, spoliisque superbus,  
 Partem opere in tanto egregius sibi victor habebit.

Vnus è  
Ducibus  
Classis  
Venetæ.

Tûque mihi longè ante alios, cui puppe sub altâ,  
 Dum turbas aduersum hostem, dum prælia misces,  
 Fluctibus Oceani in mediis, pugnâque sub ipsâ,  
 Contigit & cadere, & Turcam superare cadendo,  
 O MARCELLE, mihi totus splendebis in auro,  
 Funere pro tanto, meritæ pro munere laudis.  
 Terrores, vanique Metus, trepidique Pauores  
 Sub pedibus, vincti nodis post terga, iacebunt.  
 Et mortis Formido, & inexorable letum.

Dux clas-  
sis Vene-  
tæ.

Nec te adeo, si quid poterunt mea carmina, famæ  
 Eximet ulla dies, tam pulchrâ morte peremptum.  
 Ille autem, tali pro fato, insigne, volantem  
 In clypeo portabit apem, quæ prælia tendat  
 Bellatrix, animâque ipso in certamine fundat,  
 Læta suo felîxque hostem si funere perdat.

Nec tu carminibus, MOCENICE, tacebere nostris  
 Siue altum inuadis ratibus mare, seu rapis ardens  
 Totam aciem ad pugnam, Turcâmq[ue] infanda furentem

Ductor  
Venetus.

B

Proturbas, spatioque inclusum cogis iniquo;  
 Seu fugientem urges. Quin te miserande iacentem,  
 Ottomanæ ductor classis, iam puluis haberet  
 Respersum tabo, & proiectum in litore truncum:  
 Ni fuga disiectum, cedentemque æquore toto,  
 Et turpis pauor, & venti in diuersa tulissent.

In medio sublimis erit, cui sidera parent  
 Infernique lacus, Latian de gente Sacerdos,  
 Magnus ALEXANDER, Veneto nam primus in hostem  
 Iungit opes, acutique animos, & suscitat iras.

Captiuæ toto stabunt sub litore naues  
 Remigio, & velis exutæ, atque omnibus armis:  
 Nec non & victi currus in puluere inanes,  
 Et belli tormenta solo prostrata iacebunt.

Ereptas at opes, auulsaque rostra carinis,  
 MARCE, tuos figam ad postes, inimicaque summi  
 Pendebunt vexilla, alto de vertice templi.

Ipsa mihi demum hostili donabitur auro,  
 Laureti magnæ Virgo quæ præsidet arci:  
 Ut fortes in tanta animos exordia rerum,  
 Inspiret Veneto, fausto dum marte tuetur  
 Spes Italas, Latioque hostem, & Laurentibus aruis  
 Submouet, ac longè Ponti inter claustra repellit.

Ipse autem populis saxo sublimis ab alto,  
 Facta recensebo Venetæ virtutis, & omnem  
 Fortunam, & casus belli, euentusque secundos,

Quæque mari, Vobis pugnando exhausta, sub ipso;  
Dicam hostes pelago domitos, urbēsque receptas,  
Et toto latè dispersos æquore Turcas,  
Fumantēsque Asiæ, vestro sub milite, campos.  
Æterno demum cælabo hoc carmen in ære.

Barbaricæ prædam gentis, regisque superbi  
 Exuuias, atque hoc spoliorum insigne Trophæum  
 Victori Veneto, domito pro Thrace, recepti  
 Antiquo tandem hospitio, & tellure potiti  
 Ponimus, ac tantum grati sacramus honorem.  
 Hi nostri reditus, hæc sunt, pro munere vestro,  
Quæ Vobis, memores animi, referenda paramus.  
 Felices, si fors Populum Patrēsque mereri  
 Contingat faciles, & conciliare merendo.  
 Nec vobis tantùm turba officiosa venimus.  
 Ut cælo palmas lenti tendamus inermes,  
 Ante aras, dum bella gerunt, quibus arma gerenda.  
 At medios etiam, contemptâ ut luce, per hostes,  
 Intrepidi rerum, magnæ mysteria Romæ,  
 Et sanctos ritus, genti portemus Eoæ:  
 Atque triumphatum Christi sub legibus orbem  
 Cum populis Auroræ, & regibus, & victis Diis,  
 Hesperiam in magnam, & Capitolia ad alta trahamus.

Hunc animi ardorem, quem summo afflauit olympos  
 Aspirans, altoque Deus sub pectore fixit,  
 Omnes per terras, per rerum extrema secuti,

Fidentes cælo, iam totum errauimus orbem,  
 Obsequium in certum populorum, denique læti,  
 Cum terræ extremis seruitum finibus imus.  
 Non hunc squalentes Libyæ sitientis arenæ,  
 Non scopuli, ac syrtes, ventisque sonantia saxa,  
 Oceano in magno, non summa pericula ponti,  
 Non hunc naufragia, & mortes tardastis amorem.  
 Sed postquam toto diuersos æquore Sinas,  
 Perque tot & casus, per tot discrimina rerum,  
 Trans magnum Atlantem, & rapidi trans litora Gangis,  
 Extremos hominum, fessi peruenimus Indos;  
 Atque pererrato patuerunt denique ponto  
 Æquora terrarum longè ultima, & ultimus orbis:  
 Vnum restabat votis, ut & alma pateret  
 Adriaci Regina maris, populique propinqui:  
 Ne nos deinde suis socios adiungere rebus  
 Abnuerent, quando pro relligione tuendâ,  
 Bella mouent, Scythicâmque parant euertere gentem.

Quin etiam, ut perhibent, eadem te cura coquebat,  
 Sancte Heros, ex quo rerum te maxima Roma  
 Regnatum orbis, Tarpeiam accepit in arcem,  
 Et Vaticano Dominum sub monte locauit.  
 Non cessauit enim rebus qui missus agendis  
 Orator, populum hortari, sanctumque Senatum,  
 Ut daret hospitio dextras, Sociosque vocaret.  
 Non secus ac magnos qui centum inuertit aratri  
Camporum

Camporum tractus, & lati iugera fundi:  
 Maturis cùm flava seges iam turget aristis,  
 Vndique, qui messem, fuerit si plurima, condant  
 Imperat ire viros, & qui frumenta reportent.  
 Nec te etiam talem nostri non sumere curam,  
 Passus amor LODOICE, licet te bella tenerent  
 Armorum intentum studiis, & magna parantem.

At te, & reiectum, & serâ sub nocte iacentem,  
 IGNATI, Venetam cùm primùm acceptus in urbem es,  
 Expectasse diu memorant, per strata viarum  
 Ignotum, & gelidæ cunctantem ad lumina Lunæ:  
 Donec te monitis demum cœlestibus actus,  
 Cum turbâ famulantum, & cœca in nocte Senator  
 Quæsuit hospitio, suaque intra tecta recepit.  
 Nos tua progenies, quamquam inferiora secuti  
 Sorte pari accipimur: cœlo Pater optime ab alto  
 Respice nos, quando exempla in præclara vocamur;  
 Ut paria, ipse pares animos, in cœpta, ministres.

O tu, præcipuo gaudet quo præside magnus  
 Adria, tu Veneto dux addite, MARCE, Leoni,  
 Et vos Diui omnes, quorum sub numine florent  
 Res Italæ, testes nostris assistite dictis.  
 Vosque ô Primores Vrbis, Venetique Quirites,  
 Audite hæc, vestris quando considere terris  
 Deinde datum est, neque iam nobis id fata recusant:  
 Quamquam mens, dulci non sat contenta quiete,

Maius quiddam agitat, suspensi hærebimus aris  
Orantes pacem superos, ac vota ferentes:  
Et pars certa animis mores formabit, & artes:  
Pars cælo monstrabit iter, quæ pectora fando  
Mulceat, & sanctum doceat pietatis amorem.  
Tum nostra eloquiis cœlestibus ora patebunt;  
Vnde bibat puri diuinos ætheris ignes  
Mentis inops vulgus, Musisque exercita pubes:  
Pars & opem dabit afflictis, blandoque monebit  
Affatu, humanis quæ sit fiducia rebus.

Quin etiam ( sinerent Superi ) mens prodiga vitæ,  
Dum Turcam bello petitis, pelagoque volatis,  
O Veneti, Vestris misceri Heroibus, omnes  
Fortunæ in casus, miro properaret amore:  
Quod si fata negant, si vitæ desidis umbram  
Ad mollem, indignos, & ad otia lenta referuent.  
I tamen, i Scythico bella impacata Tyranno  
Adria fer, Diuūm dum numina sancta precamur,  
Dum veniam incensis & opem imploramus ab aris.

Interea venturo olim testabimur æuo,  
Vt captâ nuper Tenedo, penetraстis ad oras  
Litoris Jliaci, vestræ incunabula gentis;  
Pergama ubi fuerant, & ubi Simoente sub alto,  
Maiorum spirant etiamnum grandia manes:  
Et cinerum ultores, post tot iam lapsa reposcunt  
Sæcula, Vos armis umbras satiate parentum.

*Si ferro fliacos sit, quæ violauerit agros,  
Gens super, hanc flammis victores perdite, & armis.*

*Dum loquor, en ventos ardens iam nauta morantes  
Increpitat, puppi signum dat rector ab alta,  
Soluuntur funes, tenduntur carbasa ventis.  
Jam video validis per transtra incumbere remis  
Bellatorem Italicum; Venetæ iam robora pubis  
Sub GREMOVILLÆO lauros Ductore futuras  
Præcipiunt, lætisque vocant clamoribus auras.*

*I felix, perge, & pelago da vela patenti,  
Alta petens, totis insurge triremibus omnis  
Adria, habes qui te per aperta pericula ponti,  
Per scopulos, syrtesque, per obuia quæque sequantur.  
At postquam, pelago emenso, vos litus habebit  
Externum, ferro Argolicas penetrabitis urbes,  
Agmine quo, Scythicæ palrebunt cornua Lunæ,  
Bosphorus ardebit flammis, Sigea pauebunt  
Litora, & vndanti spumabit sanguine Pontus.*

*Tum nostræ, quæ non Vobis, quæ carmine magno,  
Serta suo texent decerpta è monte Camænæ.  
Tunc Vrbem bello egregiam, & decora inclyta gentis  
Adriacæ, magno sobolem ex Antenore natam,  
Ac semper, seu res armis, seu fortè gerenda  
Consiliis, lætam euentu, & præstantibus ausis;  
Nunc bellum antiquâ pro religione mouentem,  
Heroum cætu in medio, super astra feremus.*

C ij

Attonitus plausum dabit, & mirabitur orbis,  
 Plausu in communi, festo clangore tubarum,  
 Romani colles, Tarpeia è rupe, sonabunt.  
 Armorūmque aliud, vīctā pro gente, Trophæum  
 Ponemus, seris olim memorabile seclis.  
 Dicemusque nouos, gestis pro rebus, honores.

Hi nostri, accepto hospitij pro munere, sensus,  
 Hæc, IVSTINIADE, Vobis speranda paramus.  
 Tūque adeo, Patribus dum gesta negotia vestris  
 Fortè renarrabis, Venetæ testaberis urbi,  
 Quæ sit apud nostros benefacti gratia vates.  
 Inque vicem officij, totum te nostra per orbem,  
 Nobilibus celebrem vulgabunt carmina factis.

At Vos interea fortunent numina Diuūm,  
 Magnanimi Proceres, & grandia cæpta secundent:  
 Dum rem Romanam bello seruatis, & urbem,  
 Et Vaticanæ saxum inuiolabile rupis.

**F I N I S.**